THEOD. PISTORIUS
CARMEN IN FELICEM REDITUM DN. JOH. ADOLPHI, ARCHIEPISCOPI BREMENSIS, ETC. ANNO 1594 D. 21 NOV.
SLESVIGÆ 1594

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

40 II - 405
4°

DA BOX

LN 1328
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

CARL LUND

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

40 2. - 405
474

# CARMEN

# IN FELICEM REDITVM REVERENDISSIMI

*ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DN. IOHANNIS ADOLPHI, Archiepiſcopi Bremenſis, Epiſcopi Lubecenſis, &c. Hæredis Norvvegiæ, Ducis Sleſvvicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, & Dietmarſiæ: Comitis in Aldenburg & Delmenhorſt; Principis & Domini ſui clementiſſimi: ſubmiſſæ gratulationis ergô ſcriptum, & ipſius celſitudini dedicatum*

*A*

*THEODORO PISTORIO*
*Eiderſtedenſi.*

*ANNO* 1594. *D.* 21.
*M. Novemb.*

*SLESVVIGÆ*
*EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.*

11

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

# EPIGRAMMA.

A *Iove Principium: Deus eſt ſuper omnia Princeps:*
*Principium* DOMINI *qui benè cœpit, habet.*
*Ergo Iovis dum plena fluit, floretq́, ruitq́*
*Cura Magiſtratus, eſt prece digna, pij.*
*Hinc* THEODORE DEO *gratum, Dominoq́ potenti*
*Officium noſtro voce ſtyloq́ paras;*
*Vota facis, reliquum vitæ curſumq́ ſecundum*
*Eſſe cupis, cujus, publica cura, ſalus.*
*Salvum dum caput eſt, oculi dum devia vitant;*
*Partibus eſt reliquis vita vigorq́, ſuper;*
*Quo nutante ruit, quibus & morientibus, omnis*
*Sors, fors, cura, ſalus; cætera lippa manent.*

*M. Martinus Plecius*
*Paſtor Scleſuvicenſis.*

B.R.H.
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

SOL ubi brumalis dimenſus ſidera cœli
Cœrula per piſcis terga regebat equos;
Deq; ſuo paulum ceſſabant frigora jure,
Schytonia canus nec nive campus erat.
Fama per Holſatiæ nobis fit nuncia fines
(Cujus tu Princeps fræna potenter habes)
Quà Viſurgis agit vento ſpirante carinas,
Alluit ac ripas VORDA vetuſta tuas,
Te procul ignotas digreſſum viſere terras
Ad loca, quæ noſtro, non propiora, ſolo.
Sic rumor: nec certus eram num fortè profectus
Eſſes, Illyricis quà fluit Iſter aquis:
Fertur Teutonicas quò conveniſſe cohortes,
Eſſet ubi noſtris Turca fugandus agris.
Vel magis Italiam fatis melioribus iſſes,
Viſurus multis oppida clara bonis.
Hoc mihi cum dubium feciſſet fama decori
Eſt oculis Iuvenis forma videnda meis,
Cujus cingebat juvenilia tempora laurus,
Ac enſem tenuit dextra, ſiniſtra librum.
Poſſet hic eſſe (loquor) Muſarum ductor Apollo.
Ni cinctus gladio conſpiciendus erat.
Interea propius, vultu peramabilis aſtat,
Ac mihi pallenti talia dicta refert:
Excute corde metum, nihil hic formidinis, adſum
Qui vocor Aonij Præſes Apollo chori.
En laurum, librumq; manu, Cytharamq; latentem
Tergo: ſic omni conſpicor eſſe loco,

Præter quod nobis nunc dextra fulgidus enſis.
Cujus ego cauſam nec reticebo tibi:
Eſt Helicon veſtris longinquè diſsitus oris,
Nec tutô carpit nunc peregrinus iter.
:Eſt quia Germaniæ facies triſtiſsima, cujus
Cum ſæuo captat milite Turca necem.
Ille ſuas liquit ſedes, ſitiensq; cruorem,
(Si licet) Hungaricos depopulatur agros.
Ergo latus gladio cinctus jam ſpector acuto,
Non quia quod, lædi me quoq; poſſe, putem,
Sed monuiſſe velim; quám fas ſit ſumere ferrum,
Nunc ubi de noſtro ſanguine ludus adeſt.
Hoc ego quo fatum quoq; condoluiſſe viderer,
Percurro digitis ſtamina nulla meis
Iam quod erit res ipſa loquar, paucisq; docebo,
Aures dicturo tu mihi pande tuas:
Dic mihi cur animo ſolitò plus angeris, inquit.
Eſt quæ triſticiæ dic mihi cauſa tuæ?
Non ſic mœſtus eras viadri flaventis ad undas
Imbueres noſtro cum tua labra vado.
Te quoniam memini conantem carmina ſæpè,
Sabini vatis quà via nomen habet.
Nunc vix ipſe tibi vivis, curaq; maceſcis,
Extinguiq; ſinis quod tibi mnnus ineſt.
Nulla tui nuper cantarunt gaudia verſus,
Et vidi titulo metra nec ulla tuo;
Nam quia, dum curis multùm te conficis ipſe,
Noluit auſpicijs Muſa favere tuis.

Ducere

*Ducere te novi querulo ſuſpiria corde,*
*Quod tuus à patria, DVX generoſus abeſt.*
*Eſt ita: non ſed abeſt, nunquam ſpectandus in oris*
*(Tam ſævum fatum DI prohibete) ſuis.*
*Ignotas adÿt terras felicibus aſtris,*
*Atq; brevi vobis huc rediturus erit.*
*Singula ne timeas: & poſſunt multa nocere,*
*Et nec multa nocent, ſi modò Numen adeſt.*
*Nec metuas tanto, quod ſurgat Turca furore,*
*Thracius Hungariæ miles & adſit agris.*
*Fortius eſt etenim Numen crudelibus auſis,*
*Quo duce, vel media vivere morte potes.*
*Ex avium noli quicquam ſtatuiſſe volatu,*
*Hæc quoniam certa res ratione caret.*
*Abſit & augurium: ſolus Deus omnia novit:*
*Augeat & curas nec mora longa tuas.*
*Sunt loca de veſtris longinquè diſsita terris,*
*Veſter ubi carpit DVX animoſus iter;*
*Illuc tecta Ducum paſsim videt obvia, quorum*
*Alloquio plures utitur ille dies.*
*Et ſimul occurrunt, quæ ſunt digniſsima viſu,*
*Singulus expreſsè grataq; paſſus habet.*
*Hæc dum perluſtrat, mentem paſcitq; tuendo,*
*Tempus, quod freno non remoratur, abit.*
*Prætereo crebras pluvias, imbresq; madentes,*
*Quæ peregrinantes impedÿſſe ſolent.*
*His motus, ceptos animo procul excute luctus,*
*Pro redituq; tui fata precare DVCIS*

*Nec non paulatim numeros contexere tenta,*
*Quos magno poteris exhibuiſſe DVCI.*
*Is quia non mundo tantum, ſed viuere cepit,*
*Et nobis Muſis ex Helicone ſacris.*
*Iſta tuis etiam debes conjungere metris,*
*Vt pergat Muſis Fautor & eſſe, roga.*
*Dixit & occultum, ſe protinus aëre ducit,*
*Ac ſua Parnaßi culmina montis adit.*
*Tunc ego, quò poſſem Phœbo parere monenti,*
*Adÿcio numeris talia vota meis:*
*Qua tu cumq; modò Princeps regione moraris,*
*Quæ loca, quas urbes, quas peragrasq; domos,*
*Sit tecum Numen divinum, teq;, tuosq;*
*Servet, & ad patrios ſit comes illud agros;*
*Vt ſocius Iuueni Tobiæ ſuit Angelus olim,*
*AEdes ad patrias qui comitatus eum;*
*Sic ſacer aligeris te ducat Iova miniſtris,*
*Vt poßis regno ſalvus adeſſe tuo.*
*Hic cum plura velim meditari, ſidere fauſto,*
*DVX noſter redÿt; proſpera fama refert.*
*Protinus exclamo: votis Deus annuit, ipſe*
*Ac fecit precibus pondus ineſſe meis.*
*O utinam mea labra ſacro nunc fonte rigaſſem,*
*Somnia feciſſem bicipitiq; jugo.*
*Ipſe DVCI reduci cantarem carmina noſtro,*
*Lætitiæq; darem publica ſigna meæ.*
*Aſt ea laurigeris cum cedat cura Poetis,*
*Vix præter Phœbi ſcribere iuſſa, volo:*

*Sit*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

*Sit felix reditus tuus illuſtriſſime Princeps,*
*Sit tibi, ſit populo ſalvus & iſte tuo.*
*Vt quondam Pylades reducem ſuſcepit Oreſtem,*
*Figeret argutis cùm ſua labra labris.*
*Vel ceu Pyrithoo Theſeus devinctus amico*
*Fertur lætitiæ ſigna dediſſe, ſuo;*
*Sic jurata tibi Princeps Holſatia plaudit,*
*Nunc Regno, ſalvum te redyſſe, tuo.*
*Viſurgis placido gratatur murmure, lætos*
*Ob reditumq̧ tuum Slia dat ipſe ſonos.*
*Hic ubi cæruleas allabitur Eidera ripas,*
*Lætatur quisquis motus amore tui.*
*Ac equidem meritò: quis enim dare gaudia nollet,*
*Cum frueris tanto DVX generoſe bono?*
*Contigit externas tibi certò noſcere terras,*
*Viſaq̧ ſunt oculis tot monumenta tuis.*
*Magnorumq̧ Ducum clariſſima lumina noſti,*
*De quorum fama multa referre potes.*
*Omnia non repetam (nec poſſum ſingula) tale*
*Conſtat iter quantum commoditatis habet.*
*Ergo tibi multùm Princeps celſiſſime grator,*
*Atq̧ precor vitæ ſtamina longa tuæ.*
*Vive Deo, Muſis, ſacrasq̧ colentibus artes,*
*Sitq̧ patrocinio dignus Apollo tuo.*
*Sic tibi regnanti feliciter omnia cedent,*
*Sic arderint ſceptris fata beata tuis,*
*Et tua poſteritas celebrabit verſibus acta,*
*Poſt cineresq̧ tuos fama ſuperſtes erit.*

*Hoc*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

*Hoc tibi ſtridenti quod luſi carmen avena,*
*Inclyte* DVX *facili ſuſcipe quæſo manu.*
*Si tua non obſtant & magna negotia, verſus*
*Exhibitos placida perlege fronte meos.*
*Vilia ne ſpernas ſynceri munera vatis,*
*Parva dijs etiam Thuris acerva placet.*
*Hæc tibi ſi Princeps (ut ſpero) metra probentur,*
*Plura brevi debent ac meliora ſequi;*
*Facta tui quoniam cecinit mea Muſa Parentis,*
*Prodibunt titulo quæ quoq; ſcripta tuo.*
*Quæ nunc intereà Princeps celſiſſime mitto*
*Accipe, daq; tibi me placuiſſe;* VALE.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1328 4°